



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Theodote Cum Filiis MM. 2. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. THEODOTE CUM FILIIS MM.  
2. Augusti.

**N**umerabat THEODORE in viduo  
thoro filios, quos è conjugē demor-  
tuō gentierat, duos, quos vero Christi  
amore adoptaverat, vincētos ac capti-  
vos longē plurimos. Talem Diocletia-  
nus Leucadio, cui mirè ejus nuptias am-  
biebat, tradit, qui dum nullis eam blan-  
ditiis capi videt, & domum ducere jam  
desperat, vinculis certè captā ad Bithy-  
niæ tribunal adducit. Hic matris pectus  
per filiorū latus oppugnatūrus Evodium  
primò, tum minimum natu filium cu-  
niculis verborū subruere annititur.  
His ubi nihil proficere se videt, in aper-  
tam vim, verbera atrocissima prorum-  
pit. Sed plena animis verba, quibus  
mater ad constantiam suos firmabat, plus  
poterant apud filios, quàm verbera ty-  
ranni. Intereà Hyrtacus homo non jam  
sceleratus, sed scelus, pudicitiae matro-  
nali manum afferre attentat. Sed qui pro  
hāc tuendā excubabat Angelus, irruentem  
ita pugno excepit, ut quantumvis impu-  
dentis vultum largo sanguine erubescere  
tamen fāceret. Post hāe Preses matri  
geminam mortem minatur, dum hanc  
sub oculis ejus filiis geminis intentat.  
Sed illa Spartanā voce hoc unicum vo-  
tum suum esse dicebat, bis antè, quàm sa-  
met

3. Aug. VITÆ SANCTORUM. 483  
mel mori, & filiorum prius oculos, quam  
suos claudere; scire se ad hoc filios ge-  
nuisse, ut essent qui pro patriâ, Cælo,  
occumberent. Ergo in flammandem for-  
nacem unâ omnes injiciuntur. Et ecce  
continuò Superi probarunt & ad se rap-  
puerunt aurum. *Ex actis S. Anastasie.*

*Cum sis adolescentis, silentium & diligen-  
tiam cole: diligentia enim te gratum con-  
servat; silentium autem animæ lucem tue-  
tur, nec splendorem ejus tenebris obrui finit;  
semper denique & in omni actione comes  
tua sit humilitas: S. Ephrem de vita spirit.*

S. PETRUS EPISC. 3. Aug.

**E**X principum Salernitanorum stirpe  
ajunt oriendum PETRUM. Sed ut in  
nobiliorem etiam familiam transiret  
D. Benedicti, non dubitavit purpuram  
cum cucullo mutare. Attulit tamen hic  
alteram illi purpuram, cum Pont. Ana-  
gniae ab Alex. Pont. Max. datus est. Sed  
nos illud multò pluris facimus, Cælitati-  
bus tam familiarem Petrum fuisse. Ete-  
nim cum dubitatio suborta esset Agna-  
nienibus, num D. Magni ossa penes se  
haberent, eam ex omnium animo delevit  
ipse Magnus, & testis suus ipse verissimus  
feminae à paralysi afflicta (excubare eam  
Petrus ad tumbam Divi jussérat) sub no-  
titem conspicuus suam præsentiam Epis-  
cope, simul sanitatem agræ nuntiavit.

H. 2

Idem